



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Habacvc Proph. Domine audiui auditionem. Habac. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Noster in æternum Dominus regnabit, & vltra,
 Æterno si quid longius esse potest.
 Intrarat Pontum Pharao, currusque, equitesque,
 Hos super æquoreas ille reduxit aquas.
 At porrò contra chari genus omne Iacobi
 Transijt inuocuo per vada sicca pede.

CANTICVM HABACVC PROPHE.

Domine audiui auditionem.

Habac. 3.

Summe Deus, tua fama meas peruenit ad aures,
 Hinc cœpere mihi corda pauere metu.
 Quæso tuum pietatis opus da exurgere tandem
 Tunc precor, & vires exeruisse suas,
 Seruirij tempus nostri, patriæque relictæ
 Dum medias cursu venerit vsque vias.
 Annorum in medio victorum abrumpe labores,
 Nec patere ad plenum nos fera vincla premant.
 Pone iram, atque memor pietatem mente resume,
 Et facias solitis fulgeat illa notis.
 Auxilio quondam Dominus descendet ab Austro,
 Ifacidis, veniet Sanctus ab arce Pharan:
 Ipsi obtexit stellantes gloria cœlos,
 Et simul ingenti laude repleuit humum.
 Tunc quoque Phœbææ lucis respendit instar,
 Ipsi & radios dextra corusca dedit.
 Ille suum robur cæca sub nube tegebat:
 Præuia mors eius vultui obibat iter,
 Tartarea de gente sibi præmisit eunti,
 Importare luem gentibus, atque necem.
 Substitit, & pactis sedem defixit in aruis:
 Tum mensus terram est, distribuitque suis.

C 2

Nam

Nam postquam gentes, atque harum crimina vidit,
 Dispulit, & patrios linquere adegit agros.
 Contriuit validos Reges, per secula in illis
 Qui fuerant soliti scepra tenere locis.
 Cætera nobilitas trepido perculsa timore,
 Curuata æterno est à veniente Deo.
 Æthiopum, memini, fudit quoque castra tyranni:
 Sæuus hic Isacidis, nec satis æquus erat.
 Illius auspiciis Madian sub pellibus, olim
 Turbatus validum per Gedeona fuit.
 Nonne tuâ Domine in fluuios cognouimus iram?
 Teque indignatum nonne fuisse mari?
 Pro nobis in equis quondam certamina obisti
 Æthereis, hostis succubuitque neci.
 Sæpe tua est virtus celestibus vîa quadrigis,
 Vt nostris ferres inde salutis opem.
 Depromes arcum, nostrosque aptabis in hostes,
 Atque erit vt telis faucia turba cadat.
 Hæc tibi Thariadum tribubus iurata fuere,
 Promissis quadrant auxilia ista tuis.
 Tu fluuios terræ magna virtute scidisti,
 Carperet vt populus per vada siccus iter.
 Hoc vbi viderunt sublimes corda Monarchæ,
 Indoluere graui sollicitante metu.
 Hinc quoque præcipites timuerunt gurgitis vnda,
 Et visæ cursu sunt trepidante rapi.
 Tunc pelagi fluctus magno insonuere fragore,
 Terribilesque suas exeruere manus.
 Sol, & Luna tuo inssu in statione quierunt
 Immoti, populo bella gerente tuo.
 Fulmina iactabas, lucentesque igne sagittas,
 Incubuit nostris læsio nulla tamen.

Ore

Ore fremens terram furiato calce premebas,
 Terrificusque fuit gentibus iste furor.
 Ut populo fieres optatae causa salutis,
 Cum Christo existi duxque comesque tuo.
 Cæde caput Pharium praua de gente tulisti,
 Haud passus regni vel superesse bases.
 Eius sceptris tuis cecidere obnoxia diris,
 Et qui tum belli causa fuere, duces.
 Hi nos aduersum properabant turbinis instar,
 Agmina certantes dedere nostra neci.
 Talis tunc hostis fuit exultatio nostri,
 Ac si inopem nullo quis prohibente voret.
 Est abs te ingentes Pelagi via facta per vndas,
 Perque lutosa, tui qua graderentur equi.
 Hæc tua facta videns, & quæ facienda reseruas,
 Extimui, venter contremuitque meus.
 Ora mihi stupuere tua conterrita voce,
 Et constricta metu non valere loqui.
 Quin mea soluuntur vitio putredinis ossa,
 Iamque ea proserpens venit adusque pedes.
 Fas sit ab ærumnis vel tum requiescere nobis,
 Quum feret exitij gens inimica vices.
 Detur & extorri sæua Babylone relicta,
 Cum populo accingi, & posse redire meo.
 Namque tua hostiles desæuiet ira per agros,
 Hæc etiam pœnas sentiet ora suas.
 Vernabit nullo sterilis ficulnea flore,
 Vineæ consuetas ferre negabit opes.
 Agricolas mentita suos fraudabit oliua,
 Nullaque triticeæ raræue messis erit.
 Lanigeræ pecudes venient ad ouilia nullæ,
 Tondebunt tardi pascua nulla boues.

Interea exultans Domino lætabor in illo,
 Qui solus nostræ iura salutis habet.
 Ille meæ vires solus, mea robora solus,
 Meque parem ceruo cursibus esse dabit.
 Montibus in patriis reducem me sistet, & illic
 Victori recinam carmina festa Deo.

CANTICVM MOYSIS.

*Audite cali qua loquar.**Deut. 32.*

MAchina cęlorum nostris aduertę querelis,
 Quęque tibi meditor dicere, terra cape.
 Doctrina in pluuium concreseat nostra liquorem,
 Et fecundus vti ros mihi sermo fluat.
 Ac fiat tanquam qui cęlo lapsus in herbam
 Humor aquę terras fructificare facit.
 Nempe iuuat Domini Omnipotentis sacra ciere
 Nomina, agat partes hic quoque quisque suas.
 Magnificate Deum sublimi laudis honore,
 Qui nostrum tantis se probat esse modis.
 Quicquid agit, solidũ est, omni que probabile parte,
 Iustitię graditur, iudicięque vias.
 Ille fidem dictis prestat, nec fallere nouit,
 Nam iusti & recti est tempus in omne tenax.
 Hunc fera progenies, neque tali digna parente
 Per sua commouit crimina fęda Deum.
 Ergo ignominiam culpa contraxit ab illa,
 Et sibi probrosas concit ipsa notas.
 Hęcine gens Domini meritis insana rependis?
 Tęne tuę hunc nescis stirpis habere patrem?
 Qui te possedit, Phariis que eduxit ab oris,
 Cuius dextra potens contulit esse tibi.

Tu